

appetitus non parum confert cœlum illud, sub quo nascimur, educamur, ac viuimus; ita vt hoc cœlum biliosos faciat, illud phlegmaticos, aliud verò melancholicos, &c. immo quod magis esse videtur, hæc regio fallaces & astutos, illa pios ac simplices, alia libidini & ventri addictos facit; scio quidem primæ educationi naturæ indolem multum debere, non est tamen dubium, quin aer multum conferat; vnum addo, sub quodam cœli argentum rubiginem contrahere, sub hoc ferrum, æs sub alio quantum ligna ab aere extrinseco patiantur, nemini ignotum est; de tela & pannis nemo est qui nesciat, idem dico de reliqua fere supellectile, quam propterea ne aeri externo pateat, in abacis, non sine multiplici sæpe innolucro seruare solemus; vnum fortè est, quod mirere, quod scilicet ad panem pertinet; ibi enim ex eodem tritico, & eadem aqua, optimum panem coques; alibi tamen vix bonum, licet eandem aquam, idemque triticum adhibeas; cuius mutationis ratio à solo aere petenda est; sed de his omnibus suo loco, hic tantum indicasse sufficiat; omiseram viuum, vel parum gratum colorem, humani præsertim vultus; nempe aliqui regionum tractus vegetos homines nutriunt, vultusque grato ac viuo rubore tingunt; cum tamen alij, infirmos tantum & pallore tinctos habeant; scio maximam horum effectuum partem à cibo & potu petendam esse; certum tamen est, ab aere quoque petendam esse; nam in hoc vis sanguificans vegetior est; in illo, debilior; in alio, deprauata, &c. sed de his suo loco.

PROP. CCXXXIII.

Dici potest, ac explicari cur atomi in aere fluitent: nemo est, qui sæpe atomos intra radium solis immerfas, huc illuc fluitantes non viderit; licet enim aliquando materiæ densissimæ sint, quia tamen, vt plurimum, latissimam superficiem habent pro pondere, maximam resistantiam in aere ad descensum habent; hinc tardissimè descendere videntur; & cum minimam molem habeant, quid mirum, si ab aere continue secundum aliquas partes agitato, huc & illuc moueantur: & verò minimus impetus sufficit, ob exiguam molem, vt impetus innatus superetur, vt patet ex motuum doctrina, porro iuxta foramen, per quod solaris radius subit, illæ atomi potissimum agitantur, nam per foramen illud aer fluit, & prædictam agitationem atomis conciliat; cur verò vbi vtriusque meatus patet, aer fluat & currat, infra dicam, cum de vento agam; habet enim aer suos alueos, in quibus fluit, ad instar aquæ, de quo sequenti tractatu: denique radij caliditas, tum aera rarefacit, vnde sequitur aeris & atomorum commotio, tum ipsas etiam atomos, halitu calido foctas; hinc feruente præsertim æstu, tripudiare videntur; immo quod non semel à me obseruatum est, intra ipsum radium aliquæ atomi descendunt, aliæ ascendunt, quia scilicet pars aeris, rarioris scilicet, ascendit, pars densioris descendit; hinc atomorum pars ab aere ascendente sursum, pars deorsum à descendente defertur; adde tuum & aliorum astantium anhelitum, cuius afflatu tantulum aer commouetur; adde perpetuum sonum, qui certè aeris